

A p p e n d i x

continens demonstrationem theorematis, quod docet, iisdem factoribus quocunque ordine in se ductis idem productum generari.

§. 1. *Hypothesis.*

Productum e factoribus a, b, c, d, \dots etc. si notetur scribendo: $a \times b \times c \times d \times \dots$ etc., modus hic productum illud scribendi indicabit, e Multiplicando a in Multiplicatorem b ducto generandum prae primis esse productum $a \times b$, hocce dein productum $a \times b$, Multiplicandi loco positum, ducendum esse in Multiplicatorem c , et sic porro ea lege, ut productum e factoribus quocunque, eo ordine, quo a sinistra ad dextram scripti sunt, in se ductis, tanquam Multiplicandus ducatur in Multiplicatorem factorem eum, qui producti ejus factores proxime ad dextram sequitur.

§. 2.